

debere, ne convincatur, et obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit, dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, et post quem nulli nupta est, cui servivit, fructum tibi afferens cum tolerantia, ut eum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus et voce, et corde, et literis servio, ut, quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum. Monicae famulae tuae, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, et fratrum meorum sub te patre in matre catholica, et civium meorum in aeterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum, ut, quod a me illa poposcit extremum, uberius ei praestetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quam per orationes meas.

---

## B. AUGUSTINI

### CONFESSIONUM LIBER DECIMUS.

Professus qualis fuerit et qualis sit, ostendit confessionis suae magnum fructum, et disputaturus, qua ratione Deus et vita beata reperiantur, uberius de natura et vi memoriae loquitur. Deinde disquirit de actibus, sensibus et affectibus suis e triplici tentationis genere spectatis, Dominumque unum Dei hominumque mediatorem celebrat.

#### CAPUT I. IN SOLO DEO SPES ET GAUDIUM HOMINIS.

Cognoscam te, genitor meus, cognoscam te, sicut et cognitus sum. Virtus animae meae, intra in eam, et coapta